

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Marcello Regio S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

ut adiungant aliquando lectionem Iuris. Quare tibi eos commendandos esse duxi, & peto primum ut adiuues eos in hospitio querendo: deinde ut tuam illis operam deseras in recognitione scriptorum, aut si quando in alijs rebus consilio opus habebunt. Deduces etiam eos ad aliquem eorum qui Institutiones Iustiniani prælegunt. An eis opus sit assidua domestici præceptoris opera, cum rediero, iudicabo. Nam sumptuum ratio ea in re habenda est. Interim tibi eos commendo, ut nobis absentibus aliquē is hic habeant, cui curæ sese esse sciant. Officium hoc hospitibus quanta cura præstādum sit, non ignoras. Et ego causam habui mei consilij, cur tibi potissimum eos uoluerim commendari. Quæso ut propter Reipub. utilitatem, et propter nostram amicitiam, hos adolescentes diligēter cures. Bene uale. 12 Septembris, Anno 1536, Francofordiæ.

Marcello Regio S. D.

Nullam uolo te, mi Marcelle, aliam causam suspicari tam diuturni silentij mei, quàm occupatio- nes meas, quæ tibi sunt notæ. Semper enim amaui fidem, grauitatem, & singularem in studijs diligentiam tuam. Has uirtutes non possum non amare, si modò non putas me alienum esse ab humanitate. Nihil igitur est quod de mea erga te uoluntate dubites. Hic iuuenis rogauit, ut se tibi commendarem:

~ 2 ~

Et meo iudicio dignus est quem amplectaris. Habet ingenium ad literas appositum, si modo cultura accesserit. Pater cum certo consilio hinc abducit: et uidetur apud te posse proficere, si eum uolueris exercere scribendo tum soluta, tum uersu. Velim cum etiam in Dialecticis et Mathematicis exerceri. Spero eius consuetudinem futuram uilem tuis scholae. Nam eius exemplo accendentur tui, ad diligentius scribendum. Vale.

Indole & uirtute præstanti, Christophoro M. amico suo, S. D.

Charissime Christophore. Et in cælo consideres interdum leges motuum esse certissimas, et te ipsum aspice: et cogita impressa esse mentibus hominum uestigia, quæ testantur et esse Deum opificem uniuersæ naturæ, et seruatorem generis humani. Deinde adiungito doctrinam in Ecclesia traditam. Filius Dei certis testimonijs sese patefcit, et adfirmat se seruaturum esse sibi Ecclesiam, sicut inquit: Ecce maneo uobiscum usq; ad consummationem seculi. Hac te cogitatione confirmes, et statuas mansuras esse aliquas Dei Ecclesias, et aliquas earum hospitia: et eruditione te præpares, ut uisui communi societati esse possis. Bene uale. Salutem opto dulcissimis fratribus tuis.

Die 12 Maij.

Christo-